



**Tractatus Juridicus Ad Librum III. Decretalium Gregorii IX.  
Clericorum in communi, nec non Prælatorum, ac  
Capitulorum in specie obligationes, & jura complectens**

**Scharz, Oddo**

**Salisburgi, 1738**

§. I. Quid sint res Ecclesia? Quando, & ex quibus causis earum alienatio  
interdicta fuerit?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63800)

## TITULUS XIII.

*De Rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.*

**Q**uanquam Episcopis, aliisque Prælati in Ecclesias sibi subiectas, earumque bona ampla sit collata potestas per *cap. 3. C. 10. Q. 1.* ea tamen tam libera non est, ut pro nudo voluntatis suæ arbitrio de iis disponere valeant. Non enim sunt *domini*, sed *dispensatores* rerum Ecclesiasticarum *cap. 13. C. 12. Q. 1.* Unde, qui limites in dispensandis, & alienandis rebus Ecclesiasticis Prælatorum potestati positi sint, sub præsentis Rubricæ exponitur.

## §. I.

*Quid sint res Ecclesiæ? Quando, & ex quibus causis earum alienatio interdicta fuerit?*

## SUMMARI A.

1. *De rebus mobilibus, & immobilibus præmittitur doctrina generalis.* 2. *Quid sit res mobilis?* 3. *Alia est pretiosa, alia non pretiosa.* 4. *Res immobilis alia est naturaliter, alia civiliter talis.* 5. *Ad quam speciem reducenda sint res incorporales?* 6. *Item actiones?* 7. *An pecunia ad res immobiles comparandas destinata sit res immobilis?* *Sententia affirmativa refertur.* 8. *Negativa eligitur.* 9. *Et respondetur ad opposita.* 10. *Quid sint res Ecclesiæ, & quid per Ecclesiam intelligatur?* 11. *Res Ecclesiæ sunt vel merè temporales, vel spirituales, & ille vel antecedenter, vel consequenter tales.* 12. *Quibus aliis nominibus res Ecclesiæ efferantur?* 13. *Bæhmeri impudens crisis castigatur.* 14. *Quando bona Ecclesiastica alienari prohibita fuerint?* 15. *Et ex quibus causis?*

**D**E Rebus Ecclesiasticis acturi, præmittimus doctrinam juris generalem de rebus mobilibus, & immobilibus. Res equidem, si vocis huius homonymiam spectemus, latissimæ significationis est, ut vulgò vocabulum *transcendens* appelletur, utpote quod ad omne ens, & non ens referri queat. *Coëddæus in Comment. ad l. 5. ff. de V. S.* num. 4. Nos, dimissa hac cura, & investigatione, rem in duplici duntaxat specie consideramus, in quantum nempe vel *mobilis*, vel *immobilis* dicitur. Res *mobilis* illa audit, quæ de loco ad locum salva, & integra moveri potest, vel à se ipsa, ut homo, pecus. *l. 93. ff. de V. S.* vel ab alio, ut gemma, annulus.



lus. l. 17. ff. de auro, argent. legat. item ædificia temporaria, quæ de loco ad locum transferuntur. l. 18. ff. de act. empt. l. 60. ff. de A. R. D. & ejusmodi res in vernacula nostra vocantur *wegliche Güter, Fahrnuß*.

3 Res mobilis rursus vel est pretiosa, & servando servari potest, vel non pretiosa, quæ servando servari nequit. In censum rerum pretiosarum veniunt vasa aurea, argentea, Bibliotheca copiosa, grex ovium, &c. si loquamur de rebus Ecclesiæ, Reliquiæ, & ipsa Sanctorum, ornamenta, & alia, quæ sunt de thesauro Ecclesiæ, ejusque singularem promovent splendorem. Ad res mobiles non pretiosas referuntur oleum, frumentum, fructus, pecudes, vestes pleræque, pecunia usui quotidiano deserviens, quæ aliàs retenta sterilis est, nihilque emolumenti adfert. Molina Tom. 2. disp. 465. num. 4.

4 Res immobilis in vulgari sensu juris vocatur illa, quæ de loco ad locum salva, & integra moveri nequit, & hæc vel est naturaliter, vel civiliter talis. Ad priorem speciem reducimus res, quæ ex natura sua moveri nequeunt, ut est fundus, ager, domus &c. & quæ iisdem naturâ coherent, l. 40. ff. de A. E. V. l. 3. §. 15. ff. de Vi & Vi armat. ut sunt arbores solo coherentes, & affixæ. l. 7. §. 5. ff. Quod vi aut clam. Nota tamen cum Magnif. P. König h. t. num. 6. quod arbores cæduæ, quæ in hunc finem destinatae sunt, ut cædantur, item gramen, aut alii fructus, quos tellus progignit, tametsi rebus immobilibus, quamdiu adhuc pendent, fundoque coherent, accenseri mereantur, l. 44. ff. de R. V. Separati tamen potius pro rebus mobilibus habentur

di sint, & ideo sub prohibita alienatione non veniant. Civiliter res immobiles dicuntur, quæ quidem de se moveri possunt, quia tamen ad res immobiles, earumque usum, & ornamentum perpetuò destinantur, rerum quoque immobilium naturam assumere videntur. Huc spectant mancipia rustica, sive servi glebæ, aut fundo excolendo perpetuò adscripti homines, cap. 5. h. t. Nov. 7. cap. 1. item ædificia non ad tempus posita l. 7. §. 10. l. 60. ff. de A. R. D. horologia ædibus affixa l. 9. §. 2. ff. Quod vi aut clam. Pisces propagationis causâ in stagnum coniecti, & alia id genus, de quibus videantur textus in l. 13. §. fin. & LL. seqq. ff. de Act. empt. quo etiam probabilius molendina navalia, & pneumatica, Schiff- und Windmüllten reduci debent. Clariss. D. D. Peregrini ad Tit. J. de reb. Corp. n. 2.

5 Quæres: Ad quam classem reducendæ sunt res incorporales, ut sunt jura venandi, piscandi, exercitium jurisdictionis; item census, & redditus annui, si ex fundatione, vel aliàs in perpetuum constituti sunt, ea intentione, ut salvo capitali, interesse annuum sustentatione v. g. Clericorum applicetur? Resp. ejusmodi res incorporales propriè nec res immobiles, nec mobiles dici posse, sed constituere tertiam quandam speciem, ut patet ex l. 15. §. 2. ff. de re Jud. attamen rebus immobilibus accensendas esse, evincunt textus in Clem. 1. h. t. Clem. Socii de V. S. l. ult. §. ult. C. de Præscr. long. temp. Nov. 7. cap. 1. Panorm. in cap. 5. h. t. num. 10. Covarruv. lib. 3. V. R. cap. 7. num. 2. Molin. loc. cit.

6 Sed quorsum actiones referemus? Dico, esse referendas ad res immobiles



si ad eas tendant, ad res verò mobiles, si illas persequantur. Qui enim actionem habet, rem ipsam habere videtur. *l. 15. ff. de R. J. Panormit. ad cap. 5. b. t. num. 9.* Clariss. D.D. Collegæ D. de Herz in *Cive beato part. 1. cap. 4. num. 7.* D. Peregrini *ad cit. tit. n. 2.*

7 Illud ab utriusque fori DD. in litem trahi video: An pecunia ad res immobiles comparandas destinata rebus immobilibus accensenda sit? Qui affirmativam tuentur, quorum è numero sunt Quaranta in *summa Bullar. V. alienatio rerum Eccles. num. 25.* Piascius in *Praxi Episc. part. 1. cap. 5. artic. 4. num. 19.* & ex hujatibus Clariss. D.D. P. Engl *h. t. num. 7.* D. Franz *p. m. ad tit. J. de rebus Corpor. D. Peregrini eod. tit. num. 3.* D. Gletle *part. 1. select. Q. Q. quest. 12. num. 3.* & alii, nituntur autoritate *l. 1. §. 3. ff. de Pollicit. l. 19. §. 11. l. 22. ff. de Auro, legat. cap. 21. §. 1. Sent. excomm. in 6.* Ex quibus textibus erui videtur, quod destinatum habeatur pro re, sive actu perfecto, & quod paria sint, aliquid esse factum, aut fieri destinatum. Accedunt textus alii in *l. 1. §. seqq. ff. pro Socio*, ubi mutua destinatio omnium bonorum ad societatem rem communem facere dicitur, & in *l. 3. §. 6. ff. de Contr. tutel. §. util. a. t.* ubi tutor ex pecunia pupilli ad prædiorum comparationem destinata, nec sibi, nec aliis solvere potest, quod destinatione non facta, sibi vetitum haud esset. Accedit ratio, quòd in pecuniis principaliter spectandus sit valor impositus *l. 1. ff. de Contrab. empt.* atque adeo illa destinatio jam facit, ut spectari debeat tanquam mensura rei immobilis.

Qui negativam tuentur, in quam & nos inclinamus, non uno juris suffragio opinionem suam suffultam reperiunt, sic in *l. 55. §. 7. ff. de Legat. 3.* dicit Ulpianus: *Si lignum sit paratum ad carbonem coquendos, atque conficiendos, ait Osilius l. 5. juris partiti, carbonum appellatione hujusmodi materiam non contineri.* Et in *l. 58. §. 1. ff. pro Socio* idem juris-consultus ait, solam destinationem pecuniæ ad societatem, ab uno factam, non facere rem communem: ergò sola destinatio alicujus rei non facit, ut deposita nativa sua qualitate, induat naturam illius rei, ad quam destinata est, & propterea pecunia, tanquam res de se mobilis, ex sola destinatione ad rem immobilem comparandam immobilis dici nequit.

Ad opposita jam responderetur, & quidem I. ad illas gnomas: *Quod destinatum habeatur pro actu perfecto. Et quod paria sint, aliquid esse factum, aut fieri destinatum*, tum demum habere locum, quando vel id operis, ad quod aliqua res destinata est, jam ceptum, & inchoatum est, ut ex *l. 1. §. 3. ff. de Pollicit.* constat, vel solo animo, & intentione perfici potuit. Gail. *l. 2. observ. 11. num. 4. §. 5.* Ad *l. 1. §. seqq. ff. pro Socio* facile responderetur, mirum videlicet non esse, quod ex mutua destinatione bonorum, etiam ante collationem, res inter socios fiant communes; nam hoc est de natura hujus contractus, qui solo consensu perficitur, nec ad sui perfectionem traditionem exposcit. Ad *l. 3. §. 6. ff. de Contrat. tutel.* reponitur, quod hæc opportunitas rationum minoris, & plerumque interventus prætoris, non verò destinatio pe-



pecuniæ exigat. Nec etiam officit *cit. cap. 21.* quod *Novitium*, qui ad religiosam vitam præparatur, habeat pro *professo* quoad privilegium *Canonis*; id equidem non est de natura ipsius religiosi tyrocinii, sed ex dispositione juris speciali provenit. Esse autem aliquam rem *mobilem*, aut *immobilem*, est de qualitatibus rei naturaliter inhærentibus, ideoque sola animi destinatione tali, vel tali qualitate affectam reddere non potest. Ad rationem, quod pecunia propter valorem sibi impositum sit mensura rei *immobilis*, atque adeo rei immobili adnumerari conveniat, negamus, hanc illationem esse legitimam, etenim si pecunia in *concreto* spectetur, ut *corpus*, merito rebus *mobilibus*, & corporeis adnumeratur; si in abstracto, tanquam valor, sive æstimatio, in classem rerum *incorporalium* reponi meretur. Vid. *Nov. 4. cap. 3. l. 95. ff. de Legat. 3. l. 94. §. 1. ff. de Solut.* His generaliter præmissis

10 Dicimus *res Ecclesiæ* illas appellari, quæ in proprietate Ecclesiæ existunt. Per *Ecclesiam* autem in sensu præsentis rubricæ intelliguntur omnia loca pia, cultui Divino autoritate Ecclesiastica specialiter deputata. Auth. *Hoc jus porrectum C. de SS. Eccles.* quæ à SS. Canonibus recepta, ac veluti Canonizata in *cap. 2. C. 10. Q. 2.* Item ex *Extrav. ambitiose inter commun. b. t.* in illis verbis: *locorumque piorum quorumlibet.* Panormit. in *cap. 5. b. t. num. 14.* Layman. *ad d. cap. n. 5. P. Wiestner Tract. de Alienat. Canon. part. 1. art. 1. num. 1.* Unde sub nomine Ecclesiæ hic veniunt non solum templa DEO dicata, sed etiam Monasteria utriusque sexus. *Clem. 1. b. t. cit. Extrav. ambitiose eod.*

Item Oratoria, Capellæ, & Altaria ritè consecrata. Redoanus *de Alienat. rer. Eccles. quest. 49. num. 5.* Nec non Confraternitates, & Sodalitia Laicorum, sicut & Hospitalia, & Xenodochia pro recipiendis, & hospitandis peregrinis autoritate Ecclesiastica erecta. Pignatell. *Tom. 4. consult. 21. per tot.* ut subiade, quæ de prohibita alienatione in favorem Ecclesiæ sub præsentis titulo statuta sunt, merito ad prædicta loca extendenda sint, cum etiam quoad immunitatem, & alia privilegia Ecclesiis æquiparentur. Redoan. *d. quest. P. König b. t. num. 5.*

Res Ecclesiæ (sub quo vocabulo *re* comprehendimus alia quæcunque bona, & jura ejusdem) quædam sunt mere *temporales*, ut castra villæ, domus, fundus, pecunia, & id genus alia, quæ in se nihil spiritualitatis habent, nec etiam ex institutione Ecclesiæ spiritualibus sunt annexa, licet lato modo sumptæ eo sensu *spirituales* dici possint, quatenus nempe à fidelibus ad honorem DEI, & Sanctorum, & Ecclesiæ ministrorum sustentationem oblata fuerit, & defacto ad Ecclesias spectant. Habet Ecclesia alias quoque res, quas vocat vel *antecedenter*, vel *consequenter* spirituales. In priorum censum veniunt illæ res, quæ quidem in se sunt quid mere temporale, quia tamen habent se per modum subjecti aliquid spirituale per modum formæ recipientis, sicque cum illo unum compositum Physicomorale efficiunt, dicuntur *antecedenter* spirituales, tales res sunt Ecclesiæ, Capellæ, Altaria, Calices, Vasa, & Vestes sacræ, aliæque hujusmodi, quæ sibi annexa *spiritualia*, v.g. consecrationem, vel benedictionem antecedunt, & ad ea



veluti subiecta præsupponuntur. Res spirituales consequenter tales dicuntur, quæ spirituale tanquam causam, fundamentum, & radicem præsupponunt, cuiusmodi res sunt beneficia Ecclesiastica, sive jura percipiendi redditus beneficiale, ut sunt decimæ, primitiæ, oblationes, quæ præsupponunt officium, & ministerium spirituale, propter quod hæc jura conceduntur. P. Wiestner cit. *Tract. art. 1. num. 3. § 4.* Eximius D. P. Beda Schallhammer in *Thefib. Canon. ad Tit. de Simon. cap. 1. §. 1.*

12. Bona, sive res Ecclesiæ usitata Patrum, & Conciliorum phrasi vocantur PECUNIA CHRISTI cap. 1. C. 12. Q. 2. PATRIMONIUM CHRISTI cap. 16. de Præbend. cap. 34. de Elect. in 6. RES DEI Concil. Trid. Sess. 25. de Reform. cap. 1. VOTA FIDELIUM, PRETIA PECCATORUM, PATRIMONIA PAUPERUM cap. 59. C. 16.
13. Q. 1. Sed quo sensu ista? si Bœhmerum consulam, ad superstitiones & corruptiones Ecclesiæ nostræ has appellationes rejicit. Audiantur propria Vatis Hallensis verba: *Tribuere Christo PATRIMONIUM SPECIALE* (ait ad Tit. de Præbend. §. 18.) *§ persuasum habere, tali oblatione Christum delectari, revera est Christo contradicere. Porro superstitione intentione, PRO REDEMPTIONE ANIMÆ, PRO REMISSIONE PECCATORUM bona Christo offerre ad eum placandum (id quod majores nostri fecisse leguntur) revera est ejurare omnem in Salvatore fidem, & sensum veræ pietatis amittere. Et tamen pleraque bona Ecclesiastica maxime ante reformationem Ecclesiæ oblata, vel donata ita acquisita sunt. Quis verò hæc PATRIMONIUM*

*CHRISTI dixerit, quæ non Christo, sed superstitioni dicata sunt? Denique quis ignorat, Clericos se dixisse VICARIOS CHRISTI? Neque enim solus Pontifex hoc titulo superbit, sed omnes Episcopi hoc encomio se notasse ostendit Joannes Launojus part. 3. Epist. 2. Imò seipsum quoque se Deos vocari contenderunt cap. 15. C. 12. Q. 1. Non ergò ἀνομιαν esse crediderunt, bona Ecclesiastica, quæ revera secundum jus Canonicum sunt bona Clericorum, vocari PATRIMONIUM CHRISTI, ET DEI, quia & hi quoque sunt VICARII CHRISTI, ET VICE-DEI. Hæc crassa satis Minerva dicta sunt, immodestos hos elationes compescere clamore opus non est. Quod Sacerdotes Dii, & Vicarii Christi vocentur, Scripturæ testimonium habemus Psalm. 104. 2. Mach. 1. Exod. 21. § 22. DEO tamen Sacerdotes per hoc non parificamus, sed excellentiam Sacerdotalis ministerii demonstramus. Audiatur S. Hieronymus super illa verba Christi interrogantis discipulos Matth. 17. Vos autem, quem me esse dicitis? ita discurrens: Prudens lector attende, quod ex consequentibus, textusque sermonis Apostoli nequaquam homines, sed Dii appellantur, cum enim dixissent, quem dicunt homines esse filium hominis? Statim subjecit: Vos autem, quem me esse dicitis? quasi diceret: hominibus, quia homines sunt, humana opinantibus: vos, qui estis Dii, quem me esse existimatis. Si hæc assimilatio non placet Bœhmero, dicat nobis, qui fieri potuerit, ut Christus in SS. Pagina assimilaretur lapidi, petra, leoni, agno &c. cum hæc magis utique recedant à DEO, quam homo, nedum Sacerdos: & tamen, ut Servatoris nostri officia*



ficia exprimerent, hac allegoria usi sunt Prophetæ: quid ergo absurdi est, quod Sacerdotes *Dii* vocentur, quorum potestas à Christo in eos transfusa *Divina* est. Bona Ecclesiæ vocantur *patrimonium Christi*, non alio sensu, quam quod pii fideles ob honorem DEI ea Ecclesiæ reliquerint. Et sanè dicere, Christum delectari ejusmodi oblationibus, Christo contradicere non est. *Ipsè enim*, ait S. Augustinus *lib. 2. contra adversar. leg. & Propbet.* munera, *quamvis non egeat, accipit, ut pietate faciat opulentas animas offerentium.* Quod verò dicamus, id genus donaria placare DEUM, proficere ad remissionem peccatorum, quid superstitionis habet? Numquid Scriptum est *Tob. 4. Ipsa eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Rursus *Matth. 11. v. 40. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Quid, quæso, ab omni ratione alienius, quam credere, DEUM nostris oblationibus non placari, sed offendi, & illum omnem in Christum fidem ejurare, omnemque pietatis sensum amittere, qui talibus hostiis propitiare DEUM intendit? sed hæc sunt deliquia fidei dormitantis. Bœhmerus, cum aliquando evigilaverit, ipse sua somnia ridebit.

¶ Pergamus ad alterum, & inquiremus, quandònam cœperit bonorum Ecclesiasticorum alienatio esse interdicta? Certum est, quod à temporibus Apostolorum usque ad Annum Christi 398. nulla lex lata fuerit de Ecclesiasticis bonis non alienandis, eo quippe tempore Episcopis ex dispositione Apostolorum omnium rerum Ecclesiæ dispensatio commissa fuit, ita ta-

men, ut Presbyterorum, & Diaconorum consilio uti necesse haberent, pro ut ex Concilio Gangrensi *Canone 7. & 8.* & Concilio Antiocheno *Canone 24.* testatum facit Thomassius *part. 3. lib. 2. cap. 1. num. 2. & 3.* Initia hujus prohibitionis referunt aliqui ad Concilium Carthaginense III. *relatum in cap. 39. C. 17. Q. 4.* alii ad Concilium apud Valentiam celebratum, quod illo altero antiquius est, & de quo desumptus est Textus in *cap. 1. de his, quæ fiunt à Prælat.* Successerunt deinde aliæ leges innovantes prohibitionem in dictis Conciliis factam, quas exhibet Gonzalez ad *d. cap. 1. de his, quæ fiunt à Prælat. n. 5. & 6.* Leguntur etiam variæ in hanc rem Constitutiones Imperatorum, quibus rerum Ecclesiasticarum alienatio interdicitur, ut Leonis in *l. 14. C. de SS. Eccles.* Anastasii in *l. 17. C. d. t. Justiniani in authentica de non alienand. aut permut. & in anth. Hoc jus porrectum C. d. t.* sed cum hi Principes, utpote Laici, in Clericos, & Ecclesias nullum jus haberent, eorum quoque leges ejusmodi prohibitionibus vim & auctoritatem tribuere non valuerunt, Prohibitiones denique hæc, quæ ab initio duntaxat ad certas species, & ad certa loca restrictæ erant, in variis Conciliis tum particularibus, tum generalibus ampliata, & ad omnes res immobiles, & mobiles pretiosas extensæ fuere, ita, ut earum alienatio Episcopis simpliciter interdicta fuerit, nisi causæ legitimæ alienationem exposcerent, aliæque solennitates à jure præscriptæ concurrerent, de quibus inferius. Vid. Gonzalez ad *cap. 1. de his, quæ fiunt à Prælat. num. 6.*

Ex quibus verò causis tam arcti li-  
mi-



mites Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælati positi sint, concors non est DD. Sententia. Aliqui putant, hanc prohibitionem Lege Divina niti, allegantes *cap. 4. de Religios. domib. & c. 51. de R. J. in 6.* ubi dicitur, quod semel DEO dicatum, non est ad usus humanos alterius transferendum. Id quod intelligendum est de rebus autoritate Episcopali, vel Papali ad usum Divinum deputatis, & consecratis, idque regulariter tantum. Casus exceptos unacum uberiori regulæ hujus explanatione dabit P. Reiffenstuel in *Coment. ad d. Reg.* Dicendum ergo est, genuinam hujus prohibitionis causam esse, ipsius Ecclesiæ utilitatem ex *l. 14. C. de SS. Eccles.*

quæ repetitur in *cap. 7. C. 1. Q. 3.* quia valde conveniens est, Ecclesiæ bona conservari, tum, ut ejus honori, & splendori consulatur, tum ut offerentium intentioni satisfiat, tum ut ministris stipendia ministrentur. Gonzalez ad *cap. 5. b. t. n. 10.* fortè altera quoque à verò aliena non est, quam assignat Van-Espen *part. 2. tit. 36. cap. 3. num. 2.* quod scilicet eo tempore, quo, defervescente persecutione tyrannorum, Ecclesia cœpit bona immobilia possidere, nonnulli Episcopi bona illa in utilitatem propriam distraxerint; quapropter expedire visum est, ut ipsis rerum Ecclesiasticarum alienatio inhiberetur, aut saltem certi limites ponerentur.

## §. II.

*Qualis alienatio circa prædicta bona Prelato interdicta sit?*

## SUMMARI A.

16. Alienationis nomen hic in sensu latiori accipitur. 17. Bona immobilia Ecclesiæ Prelatus sine solennitatibus Canonice alienare nequit. 18. Limitatur quoad bona immobilia exigui valoris. 19. Quarum taxatio prudentis judicis arbitrio relinquitur. 20. Limitatur quoad bona ab antiquo in feudum dari solita. 21. Item quoad bona Monasteriis bonorum stabilium incapacibus legata. 22. Nec non, quæ urgente necessitate celeriter alienari debent. 23. Bona mobilia pretiosa similiter alienationis prohibitioni obstant. 24. Non etiam immobilia non pretiosa. 25. Quid de pecuniis?

**P**Renotandum, alienationis vocabulum stricte, & late posse accipi. Stricte acceptum illos duntaxat contractus complectitur, quibus directum rei dominium transfertur, quales sunt venditio, permutatio, donatio, legatum &c. *l. 1. C. de fundo dot.* ubi expressè dicitur, quod alienatio sit omnis actus, per quem dominium transfertur, & *l. 67. ff. de V. S. alienatum non pro-*

prie dicitur, quod adhuc in dominio venditoris manet. Late acceptum dicit omnem illum actum, quo dominium, sive directum, sive utile, aut aliud quodcunque jus in re, vel ad rem, saltem absolute quæsitum transfertur. Cujusmodi sunt feudum, emphyteusis, hypotheca, locatio ad longum tempus, constitutio usufructus usus, vel servitutis realis. *l. fin. C. de reb. alien. non alienand.*

l. 4.